

tholica interruptum fuisse.⁶⁷ Ecclesia scilicet bosnensis vi-ta priori vivere continuavit ejusque clerus nunc, sicut et prius faciebat, proprium episcopum elegit, qui amodo ne-que consecrationem recipit a catholico metropolita Ragusii neque ejusdem in se jurisdictionem agnoscit.⁶⁸ Sicque formaliter creata fuit ecclesia bosnensis patarena, de qua documenta saec. XIV et XV loquuntur, clerus vero simul cum monachis, qui jam a. 1203 ut suspecti de haeresi in conspectu J. de Casamaris juramentum fidei et patrenissimi fecerant,⁶⁹ nunc sunt ejus vis et duces. Propterea facile intelligitur, cur documenta de catholico clero saeculari in Bosna sileant. Immo saeculo XIV explicite testantur ordinem clericalem radicitus extirpatum esse,⁷⁰ terram vero bosensem Franciscanorum curae commissam,⁷¹ qui sequenti saeculo dicuntur soli catholici sacerdotes in terra,⁷² immo necessaria consideratur a Romana Sede petitio, ut presbyteri saeculares in ecclesiis a magnatibus erectis constitui possint, quia inibi hujusmodi ecclesiae Franciscanis conferri consuescere dicuntur.⁷³

Ergo, uti ex praedictis patet, Franciscani definitive post Dominicanos, in quorum locum a. 1330 ex toto successerunt, jam inde a medio saeculo XIV usque ad Turcarum invasionem exclusivam partem cleri pastoralis constituunt. Ex mera necessitate providendi populo susceperunt in se officium pastorum ejus, conventus autem eorum, domus et loca eo ipso centra parochialia constituebant. Satis est vel

⁶⁷ Šidak, o. c. 142.

⁶⁸ Ibidem.

⁶⁹ Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 20 n. 35.

⁷⁰ A. 1319 scribit Joannes XXII de Bosna quod »tanta sit infidelitatis labore polluta, quod ibi desolentur ecclesie, clericalis ordo sit extirpatus radicitus et Christi sacra irrisione pestifera conculcentur«. Theiner, Mon. Hung. I, 163 n. 701, 456 n. 688, 633 n. 952.

⁷¹ Theiner, Mon. Slav. Mer. II, 328 n. 328; AM, ad an. 1373 n. 30 (VIII, 639—640).

⁷² Farlati, IV, 257. In aliis croaticis regionibus uti in Bosanska krajinna, Slavonia, Stagno et partibus Hercegovinae in conversione et cura populi juxta ipsos et clerus saecularis invenitur, uti jam innuimus supra. Cfr. Theiner, Mon. Hung. I, 565 n. 859; II, 140 n. 276; BF, VI, 509 n. 1273, 591 n. 1490. Fermendžin, Acta Bosnae, 54—56 n. 291.

⁷³ Theiner, Mon. Slav. Mer. I, 428, nn. 607—608.